



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

LXXXIX. Des Markgrafen Otto von Brandenburg Genehmigung derselben
Handlung Richards von Zerbst, vom 10. November 1259.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

LXXXIX. Des Markgrafen Otto von Brandenburg Genehmigung derselben Handlung Richards von Zerbst, vom 10. November 1259.

Otto, Dei gratia Brandenburgensis Marchio, Christi fidelibus universis, presentes literas inspecturis, salutem in vero salutari. Recognoscimus et literis presentibus protestamur, quod honorabilis Vir Richardus Dominus de Cherwift, fidelis noster dilectus, in nostra constitutus presentia recognovit, quod Theloneum in Civitate sua Cherwift tam de magnis quam de minutis, nec non de rebus singulis exsolvendum, simpliciter relaxaverit et ex toto. Nos igitur, cum eiusdem Theolonei relaxatio ad nos ratione dominii pertinere videatur, eiusdem Domini Richardi factum siue donationem gratam ac ratam habentes, ipsam presentis scripti patrocinio confirmamus, Tradentes in testimonium huius nostre confirmationis presentes literas, sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum Anno Domini M. CC. LIX. in Vigilia Martini.

Nach Beckmann's Anhalt. Hister. Thl. III, S. 265. Buchholz Gesch. d. Churm. IV, 93.

XC. Erzbischof Rudolph von Magdeburg documentirt mit dem Markgrafen Otto von Brandenburg und mit dem Edlen Walthar von Arnstein einen, zwischen dem letzten und dem Erzbischofe geschlossenen Vergleich über das Schloß zu Rammeneburg, am 9. Dezember 1259.

Rodolphus, Dei gratia Sancte Magdeburgensis Ecclesie Archiepiscopus, omnibus presentes literas inspecturis salutem in Domino. Cum labilis hominum sit memoria, ne ea, que rite aguntur a nobis, tollat oblivio, placuit ipsa scripture testimonio commendari. Recognoscimus itaque et tenore presentium protestamur, quod nos super ea parte Castrum in Rammeneburch, quam olim bone memorie Dominus Albertus, predecessor noster emit a nobili Viro Domino A. de Arnstein, quam nobilis Vir, filius suus Dominus W. de Arnstein nunquam fuisse datam secundum morem terre coram Comite de Anhalt affirmabat, cum quo, ut omne dubium amputaremus, concordavimus isto modo, quod partem castri cum suis attinentiis supradictam dedit nobis et Ecclesie nostre in ius et proprietatem perpetuam, heredum suorum accedente consensu. Nos vero Curiam, quam pater suus habuerat, et aliam Curiam, quam Fratres S. et Ch. cognomine Wucken de manu nostra tenuerant, concessimus iam dicto Domino W. in feudum castrense, quod vulgariter Borchlen vocatur, ita quod de utraque curia nunc Castrensis sit ibidem et Castrum liberum maneat nobis et Successoribus nostris, ut, cum necesse fuerit, homines nostros pro defensione Ecclesie nostre ibidem mittere et tenere possimus, sicut in aliis castris nobis vacantibus: ipse etiam, cum necesse habuerit, contra hostes suos se poterit defendere. Testes huius sunt Wernerus de Kerberc, Vicedominus, C. de Sterenberg Cellerarius, A. de Arnstein Archidiaconus, H. de Grunenberc Prepositus St. Nicolai, Canonici Magdeburgenses, Everhardus Plebanus de Glinde, Capellanus noster, Arnoldus Can. Sancti Nicolai, Laici G. de Grune-